
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 8

Nowo-Łacin. Liter.-
937./I

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M A.

Miſcellaneorum

Decadis II.

EXERCITATIO VII.

De

RESISTENTIA GENERALI ET abſolutâ,

Phyſiologica & Hiſtorica

Diſceptationis loco in Gymnaſio Gedanenſi propoſita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico

Reſpondentis partes tenente

ERASMO FABRICIO Gothano Thuringo, Ampliſsimi Senatus Alumno.

Ad diem 13. Maij S. N.

In Auditorio Philoſophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exſcripta ANNO 1637.

Adl. 20

Miscellaneorum
Decadis II. Exercitatio VII.
De Resistentiâ
generali & absolutâ.

I.

O*Btusus humanæ aciei obtutus cum difficilium rerum minutias per quietem contemplari nititur, ægrè penetrat: ac oppletus atro quasi motu, disceptantium excusso pulvere, ne conspicere quidem valet, aut intentiùs intueri. Circa formas substantiales noscendas qui cæcutiat,* Scaliger ex: 307. s. 12. & 21. *jure queritur. Et de accidentalibus idem confitendum esse exempla benè multa docebunt. Utcunq; afficere eas, sensuum convincant testimonia:* Quid *tamen illæ sint, dicere, aqua potiùs hærebit, quàm responsum suppetet.* Caloris, frigoris, voluptatis, doloris, naturæ *id in præcedentibus docuerunt. Jam idem commonstret* resistentia, *quam esse in rebus, ac adversa contrarijs reluctari, tàm facile novisse licet, quàm vulpes pyrum comest. Sed* quid ipsa sit, *& in quo distinctum ejus formale consistat, dicere, nodus fuerit vix Tenediâ securi explicabilis. Conabimur tamen post cætera & hanc explanatam cum DEO dare, ut Physicis discussa materijs ad calcem suam decas hæc decurrat miscellanea.*

2. Dari in rebus resistentiam *quotidiana exempla observare faciunt, ubi calidum frigido, humidum sicco contrariari, & ex adverso sævum virtuti incurrere vitium animadvertimus. Asseritq; eam varijs in locis Aristoteles.* Ut l. 3. Phy: c. 1. t. 8.

Phy: c. 1. t. 8. c. 2. t: 16. l. 1. d. gener: c: 7. t: 46. c. 10. t. 87. l. 2. de gen: c. 4. t. 24. 25. *& manifestißimè* l. 4. de gen: anim: c. 3. *Sed ubinam velut in propriâ sede de illâ disquirendum veniat, primâ fronte expediendum? Spectari illa potest* vel ut affectus *est in creatione rebus naturalibus concreatus, quomodo calidum frigido, humidum sicco repugnare â DEo factum est, sic Theologo in creationis serie expendendâ considerationem relinquat:* Vel *ut â morali principio subjectis conciliatur, quomodo vitiosus virtuoso, & hic illi reluctatur, Ita in Ethicis de eâ aliquid moneatur:* Vel ut *generalis aliqua habitudo est, potentiā Entis in genere insequens, ita primo Philosopho perpendatur:* Vel ut *specialia Entia insequitur, quibus competat, Vt angelos bonos & malos, homines pios & impios, sonos Musicos, instrumenta mechanica, Mathematica, & similia: Ita Theologo, Mathematico, Mechanico & similibus spectari queat:* Vel ut *rerum naturalium communis aliqua affectio earum naturas consequens est, Ita Physiologo discutietur, & magnam partem huic disquitioni subjacebit.* Quinam etiam authores peculiariter eam explicuerint, *in antecessum hic quæri poßit? Tradiderunt eam peculiari libro ex veteribus* Pomponatius, *ex recentioribus* Zabarella lib: de reactione. *Inter cæteras materias Physicas persequuntur eam* Aristoteles ci: locis. Conimbricenses in 8. Phy: c. 4. q. 1. a: 4. & pleniùs l. 1. d. gen: c. 9. q: 3. D. Jac. Martini C: 7. d. 5. q. 4. Morisanus d: 4. d. gen: q. 2. Mendoza d. 9. Phy: s. 10. 11. Arriaga d: 3. de gen. s. 11. 12. Raconis disp. Ph. 1. d. mist. perf. s. 4. q. 4. Eustachi⁹ S. Pauli p. 2. Phy. tr. 2. d. 2. q. 4. Timpler: Phy. gen. c. 15. q. 2. Toletus 1. de gen. c. 7. q. 15. Ruvius in l. c. tra. de act. & react. q. 9. Jaccheus l. 6. Phy. c. 6. Vallesius l. 1. controu. Med. c. 5. Piccolomin. d. actione naturalium c. 17. 18. 19.

D. Sennertus

D. Sennertus l. 3. Phy. c. 2. *Paucis in Metaphysicis eam delibant* Suaretz. d 43. Meta. s. 1. n. 8. 9. Scheibl. l. 1. Meta. c. 14. n. 43. 44. Timpler. l. 5. Meta. c. 4. q. 12. & 15. D. J. Mart. l. 1. part. Met. s. 9. t. 30. 31. Bartholin. ench. Meta. c. 5. Arniseus epit. Meta. de act. & pot. n. 15. Soncinas 9. Meta. q. 6. *In Theologicis aliquid de eâ inspergunt* Aluaretz de aux. grat. d. 32. num. 4. 5. Cumelius T. 3. disp. in Thomam p. 211. a. b. Valentia T. 2. in Thom. d. 8. q. 3. p. 4. Bellarm. l. 6. de grat. c. 15. *aliiq;*.

3. *Antequam ad rem ipsam procedatur*, nominis *aliqua ratio in resistentiæ voce habenda est. Sumitur resistentia* 1. Philologicè *pro diversitate actuum & sententiarum, cum quis alterius acta a. sententiam improbat, nec ei accedit. Sic* Cicero Orat. 2. p. leg. Agrar. §. 14. *tribunitiam vim nonnunquam consulari libidini restitisse ait.* 2. Logicè, *pro repugnantiâ terminorum, qui unà sunt incompossibiles, & affirmari de se eodem modo non possunt. Vt pater, filius: calidum, frigidum: leo, non leo, &c. Hi termini resistentes & dissentanei appellantur.* 3. Theologicè *sumitur pro repugnantiâ reproborum adversus DEum, & Dei contra ipsos, aut piorum contra diabolum. Sic Pharisæi Spiritui S. resistunt.* Act. 7. v. 51. *Elymas mag⁹ Paulo.* Act. 13. v. 8. *De⁹ superbis.* 1. Pet. 5. v. 5. *Pij diabolo resistere jubentur.* Jac. 4. v. 7. 4. In Astronomicis *sumitur pro cõtrariâ motione Sphæræ alicujus advers⁹ primum mobile. Ita secundum mobile renitentiæ vocant, & adversum primi mobilis raptui.* 5. In Ethicis *pro oppugnatione actuum moralium adversorum sumitur, quomodo avaritia liberalitati, & humilitas superbiæ resistere dicitur.* 6. Apud Metaphysicos *sumitur pro abstractâ ratione resistivâ, quâ Ens enti resistere dicitur, abstrahendo à speciali entis naturalis, moralis, finiti, infiniti, spiritualis, corporalis, substantialis, acci-*

tialis, accidentalis, vel similis ratione, quomodo in potentiâ activâ potentia resistiva tractatur, aut aliàs incapacitas aliqua entis ad aliud ens generaliter resistentia dicitur. Ita aliquid de illâ tactum dec. 1. d. 4. t. 31. 7. Apud Physicos pro habitu potentia naturalis sumitur, actum alterius imminuente. Et hoc vel laxè, pro nudâ incapacitate ad actum admittendum, quomodo cœlum calori igneo resistit, quem non capit, ferrum sectioni, cujus incapax est: vel strictè, pro actu positivo oppugnante alterum actum, & sic resistente ei: Quomodo calor resistit frigori, frigus calori. Vtroq; modo maximam partem hic sumetur. Dicitur ita & obsistentia, renitentia, repugnantia, repugnatio, oppugnatio, impeditio, impedimentũ, repulsio, obex, reluctatio, unde reluctari & reluctare ap. Apulejum 11. metam. p. 151. Adversitas, interdum reactio, & in speciali contrariorum corporum ratione antiperistasis, de quâ d. 8. agetur. Germanis Wiederstehung/ Wiederstrebung/ Wiederstandt.

4. Nomine viso res per definitionem, divisionem, causas, subjecta, affectiones, cognata & opposita deducatur.

5. Definitio sit: Resistentia est modus habendi se ad subjectum agens repugnanter.

6. Genus ponitur modus habendi. Modus habendi est habitudo vel ratio aliqua, ad aliud subjectum existens vel agens respiciens. Sic esse dominum est modus habendi se ad aliud subjectum, cui imperatur. Resistere respicit subjectum aliquod, quod agere vel operari in se velit. Ita ergò modus habendi legitimè est conceptus genericus 1. Ratione specierum sub resistentiâ contentarum, ut resisten: positiva & privativa, naturalis & moralis, ordinaria & extraordinaria, ut th. 12. 13. seq: docebunt. Vtramq; n: vox modi complectitur. Vox actus, quam quidam genus resistentiæ ponunt, tantùm resisten-

tantùm resistentiam activam & positivam includit. Sed præter hanc est & resistentia privativa & negativa, *mera incapacitas actus alicujus, quæ non actus vel actio est, sed actionis non receptio seu rejectio, Vt c.* 12. *patebit.* Hanc *etiam sub generali definitione resistentiæ comprahendere oportet, si definitio totalis & adæquata esse debet. Vt hanc ergò etiam comprahendamus, dicimus, esse modum, non actum.* Modi *enim vox generaliter adhuc & indifferenter sumitur, abstrahitq́ ab actu & non actu. Et potest adeò modus habendi se repugnanter &* cum actu *esse, ut cum calor resistit frigori per actum calefaciendi: &* sine actu, *ut cum lapis resistit sectioni, id est, non recipit illam, nihil autem in sectionem agit. Vtrumq́ comprahendit vox modi habendi. Et notatur in genere habitudo aliqua & competentia in re, quâ se ad agens habere dicitur admißivè vel non admißivè, i. e. resistivè. Sive jam illa nõ admissio* mera *sit, quæ est resistentia privativa: sive* cum actu contrario *oppugnante & effectivè agente, quæ est positiva, indifferens adhuc est, prout in genericorum conceptuum definitionibus esse debet. Et habent se hæ species resistentiæ, positivè & privativè resistere, ad genus, resistentiam, admodùm analogicè. Alterum est positio & actus realis: alterum non admißio, & sic negatio potiùs actus, quàm positio. Illud est vis aliqua & vera competentia subjecti: hoc potiùs impotentia quædam & incapacitas ad actum, quàm competentia. Ita &* vox modi valde analogicè *sumenda, ut in altera specie veram competentiam notet, in alterâ potiùs competentiæ inhabilitatem & incapacitatem. Nec est insolens, interdum sub voce aliquâ & participationem & remotionem seu participationis defectionem comprahendere, prout species contentæ ferunt. Quomodo* Euthymena *sub syllogismo quidam comprahendunt, cum tamen potiùs syllogismi defectus sit, quàm*

Syllogismus. *Sic sub affectionibus Syllogismorum comprahenduntur à Logicis & imbecillitates syllogisticæ, quæ tamen negationes & defectus magis sunt, quàm potestates. Vnde & privativæ affectiones dicuntur* Scharfio l. 3. inst. Log: c. 9. *Mihi æquivocæ sunt dictæ.* d. 11. Gym. Log. t. 28. *Ne quis hic circa vocem modi in genere resistentiæ assignando idem contingere admiretur. In his enim & similibus materijs mutuandæ sunt voces ad usum abstrusarum intellectionum, quæ rudibus inchoatisq́ ingenijs acerbæ sunt: delicatis & Ciceronianis etiam ridiculæ, ut ait* Scaliger ex. 359. f. 2. *& uti hic cogimur vocibus tenebrosis ad significandam lucem, ut Idem* ex: 365. f. 3.

7. *Est deinde modus habendi conceptus genericus* 2. ratione similium habitudinum, *quæ etiam modi habendi vocantur, & ad quos ἴσο modus habendi velut generalis ratio, omnes ambitu suo comprahendens, est. Sic esse Creatorem, conservatorem, Dominum, Imperatorem, modos habendi in Deo vocamus, secundum quos se certâ ratione ad creata, conservata, imperata subjecta habet. Sic resistentiam modum habendi dicimus, secundum quem ad agens aliquid se repugnanter habet.* 3. Ratione oppositarum resistentiæ specierum, *quæ sunt admissio & receptio, quæ etiam sunt modi habendi se ad subjectum operans receptivè seu acceptivè. Vt ita modus habendi se sit velut genus. Sub eo, admissio & resistentia, ut proximæ & oppositæ species contentæ, de quibus illud genus enuntietur. Ita commodissimum vocabulum modi pro genere visum est, quod & placere video* Cl. J. M. c. l. part. Met: t. 31. *Si quæras,* in quo prædicamento *talis modus habendi se sit, primò & directè in nullo determinato esse dicim⁹, sed respõdere velut transcendẽti cuidam, modo, qui vel est essendi, ut finitum, infinitum, necessarium, contingens, causa causatum: vel habendi*

vel habendi se, ut esse recipientem, resistentem, imperantem, creantem. &c. qui interdum ad speciales rationes in Metaphysicis revocari solent, quomodo de resistentiâ in doctrinâ de potentiâ tradi solet, ut c: 3. dictum: secundò & reductivè vel ad actionis *Categoriam referri posse, si est resistentia activa & positiva:* vel ad qualitatem & impotentiam naturalem, *si privativa & negativa.* V: c: 8. 9. 4. Ratione distinctionis modorum essendi, *Vt distinguatur* à modis essendi, *dicitur determinatè, resist: esse modum habendi se.* Modi sunt vel essendi & existendi, *ut finitum, infinitum, actu, potentia, necessarium, contingens &c. &c. qui in Metaphysicis in affectionibus entis divisis pertractari solent:* vel habendi se ad aliud, *Qui in specialibus rerum habitudinibus explicari solent. Vocantur vulgò modi respectivi. Resistentia est modus habendi se, non essendi:* unde nec debet in entis divisionibus adduci ens resistens vel admittens, *quemadmodum nec Ens in dominãs & dominatum, imperans & imperatum, conservans & conservatum dividitur, Quia divisiones Entis sunt modi essendi & existendi & absoluti, qui generalem entis rationem consequuntur: sed modi habendi ad specialiores rerum conditiones pertinent, in quibus explicantur: & sunt respectivi, qui aliud quoddam, ad quod se habeant, respiciunt. Sic in doctrinâ de potentiâ activâ potentia resistiva explicari solet, in potentiâ activâ infinitâ vis creandi, conservandi, gubernandi: In Pneumaticis sub actionibus Dei creatio & gubernatio explicantur.*

8. *Resistentia ergò est* modus rei respectiuus, *quo cogitatur se ad aliquod agens habere adversanter. Ita ut in quavis resistentiâ involuatur respectus ad aliud, quod in illud agere velit, ut* c. 11. *uberiùs patebit.* Quidam *genus* potentiam naturalem & impotentiam *assignant, quâ aliquid vel*

agenti obni-

agenti obniti poßit, vel impotentiam habeat recipiendi actum ejus. Ita resistentiam in qualitate locant. Hæc sententia tolerari potest, cum resistentia pro vi ac potestate resistendi sumitur. Sic omnis resistentia vel est ipsa activa potentia contraria, ut cum calor resistit frigori ipsa vi calefaciendi: vel impotentia naturalis non admittendi actum contrarium, ut dec: 1. d. 4. t. 31. *est dictum. Sed tamen vox resistentiæ &* pro actu vel impugnante oppositum, vel non recipiente *sumitur, ut communis usus docet. Sic ferrum resistit sectioni, i. e. respuit eam: aqua resistit igni, i. e. oppugnat illum, non solùm oppugnare potest. Ergò plus pro genere aßignandum, quàm quod solam potentiam respuendi actum oppositum notet. Hoc faciet vox modi.* Alij *recentiores in Categoriâ actionis eam locant, omnemq́; resistentiam actum esse volunt,* ap: Zabarell: de react: c. 5. *Vt* Vallesius, Soncinas, alijq́;. V. t. 12. *His rectè obvertit Zabarella* c. 1. *confundi resistentiam cum reactione.* Reactio *omnis est actus: Sed præter illam est & resistentia formalis & privativa, quâ aliquid ex naturali incapacitate non admittit actum oppositi subjecti, nihil autem adversus illud agit. Quod & illi ipsi, qui eam per actionem definiunt, concedere coguntur, dum in illis, quæ vim agendi nō habent, agnoscunt resistentiam, quam ad impotentiam naturalem reducunt. Ergò* actio totam resistentiæ naturam adæquatè non exhaurit, *& consequenter legitimus ejus conceptus genericus non est.*

9. Zabarella c. l. *in nullâ Categoriâ eam directè esse ait, nec esse aliquid positivum, sed privativum, & sic reductivè esse in prædicamento actionis aut paßionis, tanquam privatio earum. Ita resistere nil aliud esse quàm impedire: & impedire privativum quid est, non positivum. Hæc de* resistentiâ privativâ, *& quatenus contra reactionem distingvitur, omninò procedunt.*

nō procedunt, Vt t. 6. *dictum. Sed præter privativam est & altera resistentia positiva, quæ actu oppugnat actum subjecti operantis oppositi. Quam privativum quid vocare, & per solam non admissionem actus definire falsum & inconsistens est, Cum sit realis actus actualiter oppugnans actum oppositum, & interdum expugnans. Sic ignis frigus aquæ non solùm non recipit, sed & oppugnat; & si satis validus sit, etiam expugnat, & suam qualitatem, calorem, in aquam introducit. Et famosè Philosophi resistentiæ vocem ita ampliant, ut & resistentiam activam comprehendant. Vnde* resistentia & actus *est, quatenus ab activo principio provenit*: & resistentia, *quatenus virtutem actus oppositi retundit & imminuit. Sic homo resistit alteri, & cum eum oppugnat: & cum præveniendo manum resecat, sicq; actum ejus retundit.* Conf. Suaretzium c. l. n. 8. Scheiblerum, Arriagam, Mendozam, *locis* th: 2. *citatis, aliosq;, resistentiam & ad activam extendentes. Vnde* tale vocabulum pro genere ejus assignandum, quod utramq; comprehendat. *Hoc negatio vel privatio à Zabarellâ assignata non facit: nec impedimentum â* Mendozâ, *nam & hoc fermè magis privativū quid, quàm positivū est. Relinquitur vox modi, quæ & impeditionem positivam & privativam ambitu suo generatim comprehendit.*

10. Timplerus l. 5. Meta: c. 4. q. 12. *per motum impedientem aut retardantem eam definit. Sed talis motus erit species actionis, ut ipse ibi concedit. Sed quædam resistentia non actio, sed actionis respuitio, ut ita dicam, est, id est, privatio.* th: 6. 12. Arriaga c. l. *resistentias in actu primo ipsas formas resistentes esse putat, ut virtus productiva est ipsa substantia causæ: in actu secundo addere actualem cessationem operationis, quæ possit separari ab actu primo. Sed hic quædam ex falsâ hypothesi assumuntur: quædam confunduntur, nec satis*

 distinctè

distinctè ponuntur. Falsa hypothesis *est, quòd resistentiæ ipsæ formæ dicuntur. Assumitur enim, quod substantiæ creatæ immediatè per essentias possint esse activæ, & sic & resistivæ. Ejus contrarium â me ut probabilius est assumptum & discussum* dec. 1. d. 4. t. 13. *seq: Ita substantiæ creatæ ut non sunt immediatè sine accidentib⁹ activæ, sic nec sunt resistivæ. Quædam enim resistentia est cum actione.* Confunduntur diversa, *cum in genere resistentia ipsa forma esse dicitur. Distingvenda est & resistentia, & forma. Resistentia vel sumitur pro vi resistendi, hæc forma accidentalis activa esse potest, Vt calor adversus frigus, hoc adversus calorem: vel pro actu resistendi, hic â formâ differt, ut actus primus & ejus operatio. Nec est ipsa forma, sed ejus exertio.* Forma admodùm varia est. *Est forma* infinita, *ut DEus. Hæc per seipsam resistit, nec aliud ibi est essentia, aliud ad resistendum potentia. Sic Deus resistere superbis dicitur.* V. t: 3. *Est* finita, *ut homo, angelus. Hæc vel substantialis vel accidentalis. Substantialis immediatè per essentiam non est activa, ita nec resistiva: nec positivè, hoc enim per potentiam est: nec privativè, hoc per naturalem impotentiam. Accidentalis ut est ipsa ad agendum potentia, ita & ipsa resistentia in actu primo esse potest, id est, ad resistendum potentia: In actu secundo dicit istius potentiæ actualem exertionem cum respectu ad oppositum agens, cui resistit.*

II. *Ita* genus *resistentiæ discussum: Ex* differentiâ *dicitur, quod ad subjectum agens repugnanter se habeat. Repugnantia idem est ac impeditio. Impeditionem* Zabarella c. 1. *merè privativè explicat, ut sit non admissio, vel facere, ut actus non admittatur. Sed quandam resistentiam cum actuali oppugnatione contrarij esse ex* th: 14. *patebit. Et vulgatum illud probare possit, quo dicitur:* Impedit ira animum, ne possit cer-

poſsit cernere verum. *Vbi optandum, impeditionem merè privativam eſſe, nec furioſam totius mentis oppugnationem. Minùs de compeſcendo ſævo tyranno laborandum foret. Et ipſe* Zab: *poſtea reſiſtentias tribuit formis, & illis actiones ut primariJs agentibus tribuendas diſputat ex* 8. Phyſ: t. 33. *Ergò aliquas ſaltem reſiſtentias cum actionibus eſſe oportet, nam à formis operationes exiſtunt in ſubjectis. Rectiùs ergò* Τὸ *impedire indifferēter ſumitur, ut & privativè & poſitivè impedire comprehendat. Et generaliter impedire erit* obſtare, quò min⁹ operatio ſubjecti agētis recipiatur. *Quæ obſtātia* vel *ob meram naturalem incapacitatem & ineptitudinem ſubjecti erit, quâ ſubjectum non eſt capax actionis, quam operans in illud exerere vult: Quæ privativa erit, ut aſinus impedit docilitatem, id eſt, naturaliter eſt incapax ejus: lapis reſiſtit ſectioni, id eſt, per naturam incapax ejus eſt, & non admittit illam: homo naturaliter eſt incapax cognitionis fidei,* 1. Cor: 2. v. 4. Vel *ob actum contrarium ex adverſo impugnantem operationem ſubjecti in ſe agere volentis, quæ poſitiva & actualis erit. Et* vel ab actu naturali *reſiſtentis eſſe poterit, ut cum ignis impedit actum frigoris oppugnando illum:* vel morali, *ut cum reprobi repugnant DEo per pravos mores & conſvetudinem aſſumptam.* Actus ſubjecti *eſt id, quod agens in reſiſtens introducere vult, quodq́; reſiſtens non admittit.* Oporteret ergò actum alicujus agentis eſse, *ut reſiſtere aliquid illi dicatur. Sine actu alicujus agentis reſiſtentiam non cogitabis. Sic niſi adſit ſectio vel ſecare volens, lapis ſectioni reſiſtere non dicetur. Niſi adſit illuminatio ſpiritualis DEi, non dicetur reſiſtere reprobus illi.*

12. *Ita* definitio *reſiſtentiæ explicata : Sequitur* diviſio. Ea vel in ſpecies *analogicas,* vel *gradus.* Ex ſpeciebus *reſiſtentia eſt* vel *mera, privativa & formalis,* vel mi-

sta, *positiva & actualis.* Mera & privativa *est modus non admittens operationem agentis ob incapacitatem aliquam. Vt cum lapis non admittit sectionem, ferrum non emollitionem solarem. De hac resistentiâ quæritur* 1. An detur in reb⁹ naturalibus? Vallesius l. 1. contr. Med: c. 5. Theophilus ap. Conimbr: c. l. a. 4. Soncinas & Piccolomineus ap. Arniseum epit: Met: de act: & pot: §: 16. *& alij negant, omnemq́; resistentiam actionem esse putant. Et quod non agit adversus operans, nec resistere dici possit. Falsò. Multa enim resistunt, quæ nihil agunt. Sic si montem loco movere, turrim è sede exportare velis, resistent, id est, non admittent loco motionem. Interim nihil agent. Onus validissimum resistit tractioni equi vel hominis, id est, non cedit illi, nihil interim in trahentem agit. Paries resistit illuminationi solis, ne in te illa derivetur, interim in solem nihil agit. Cæcus resistit lumini solari, non admittendo illud, interim nihil in illud agit. Sic medium densum resistere dicitur corpori moto, i. e. non cedere, quòd ægrè dividatur.* Aristot: 4. Phys: c. 9. t. 72. 2. Vnde proveniat hæc resistentia? *Provenit* vel *ex principio naturali*, vel *præternaturali*. Naturali, *ubi â naturâ rei inest non admittere aliquid. Sic lapidi â naturâ inest, sectionem respuere. Hoc* an materia an forma, an utrumq́; *in resit, quæritur?* Zabarella c. 5. *omnem resistentiam â formâ esse vult. Sed cum hæ resistentiæ privationes sint, non positiones, ut ipse explicat, & â formis potiùs perfectiones rerum sint deducendæ, quàm imperfectiones, non simpliciter formis rerum adscribi debent. Sed rectiùs &* â formis, & materijs, & accidentibus *subjectorum esse dicuntur.* A formis, *quia hæ positæ ex naturâ sui naturalem incapacitatem important cum formis disparatis & contrarijs. Sic leonitas ex sui naturâ infert incapacitatem ad formam asininam, equinam: rationalis*

nalis ad bestialem: plantalis ad animalem. Et sunt hæ resistentiæ in subjectis formatis, non informibus. Materia enim informis est receptaculum omnium formarum, nec ulli formæ resistere, vel eam non admittere dici potest. Sed ut ea sine certâ formâ nuspiam existit: Ita nec sine illâ ulli rei resisteri dici potest. Ita formarum universale est admissorium, nullius repulsorium, ut de materiâ communi in Physicis disceptari solet. A materijs, *quia quædam accidentia in rebus magis sunt materialia, quàm formalia, & magis seqvuntur materiæ corpulentiam, quàm formæ actuositatem. Vt quantitas, gravitas, levitas, asperitas, glabricitas, soliditas, tenuitas. Cum per hæc accidentia resistitur, rectè per materiam resisti dicitur. Sic grave resistit locomoventi per gravitatem, durum per duritiem, saxum per soliditatem, terra ligno desuper jacto per densitatem, ne in interiora ejus incutiatur.* Ab accidentibus, *quia beneficio accidentium multæ resistentiæ expediuntur. Sic lapis ob duritiem sectioni, metallum ob siccitatem humiditati, asperum ob asperitatem tactui resistit. Funis recipit sectionem ob solubilitatem materiæ, argentum respuit ob insolubilitatem. Solent formæ agere mediantibus accidentibus, ut principijs quibus, ut disputatum* dec. 1. d. 4. t. 14. *Ita & resistentias per illa expedire possunt.*

13. *Hac resistentiâ privativâ creditum est* adamantem *ob insignem duritiem sectioni & contusioni resistere, nisi sanguine hircino emolliatur*, V. Plinium proëm: l. 20. & l. 37. c. 4. Scaligerum ex. 344. ſ. 8. Alij *tamen hanc emollitionem pro fabulâ habent, ut* Rollenhag c. 17. glau. lüg. Cardanus l. 7. de subt: p. 346 *frustrà creditum ait, non frangi ictu. Cum malleolo in scobem redigatur, & in ictu paulò durior sit crystallo. Populi quidam & homines venenis resistunt firmitate naturalis temperamenti, ut nihil damni ab illis sentiant,*

tiant. V. Hildebrand. l. 1. mag. nat. c. 23. Ex præternaturali principio *provenit resistentia hæc, cum ex extrinseco aliquid habet, ut non admittat. Hoc* vel *à corruptivo est*, vel *perfectivo. Corruptivo, ut cum claudus non recipit incessum rectum ob vitium pedum: cœcus non lumen solare ob vitium oculi: Homo irregenitus non mysteria fidei ob peccatum, quod illi adhæret. Quod præternaturale speciei humanæ dicitur, quia non ex principiis ejus constitutivis vel consecutivis fluit, sed extrà inductum est prævaricatione primorum parentum apostatantium: interim* naturale *quibusdam dicitur, quia naturali propagatione homini congeneratur. Quomodo morbi quidam naturales dicuntur, quòd à parentibus propagentur in sobolem.* A perfectivo, *eoq́;* vel *infinito*, vel *finito.* Infinito, *cujus principium divinum est. Sic juvenes Babylonici resistebant combustioni ignis, ut ne indicium quidem ejus nosceretur in ipsis, quia divinitùs præservabantur.* Dan: 3. v. 94. Finito, *cujus principium est creatum quid. Sic linimenta parantur artificio, quibus manus inunctæ ignis, plumbi liquati, aquæ ferventis violentiæ resistant. Exempla eorum* Vide dec. 1. d. 2. t. 22. & d. 3. t. 25. *Verbenâ & salviâ delibutæ manus serpentibus resistunt, eosq́; innoxiè tractant.* Hildebrand. c. l. c. 24. *Succo raphani illitæ eædem scorpiones aliosq́; venenata animalia sine damno tractant.* Id. c. 25. *Mitridates Ponti Rex antidotis quotidiè assumptis ita venenis restitit, ut nec lædi ab illis potuerit, cum destinatò voluit.* Plin. l. 25. c. 2. Mizald. C. 5. mem. §. 28. *Sultanus Cambaiæ innocuè venenis vesci potuit, & sputo in aliquem jacto, quem destinavit, interemit.* Hildebr: c. l. c. 23.

14. Resistentia mista, positiva & actualis *est modus resistendi agenti cum actuali oppugnatione actus illius. Vt cum ignis oppugnat frigus aquæ, aqua calorem ignis, virtus vitium, &*

tium, & hoc virtutem. Hæc eſt vel naturalis vel moralis. Naturalis, *cum actus oppugnans eſt per naturam ſubjecto inditus, ut per eum qualitatis contrariæ actum oppugnare poſſit. Apud Phyſicos vocatur* reactio, *cum inter duo ſubjecta eſt retributa quædam mutatio, quâ patiens renititur agenti, & dum patitur, renitendo commutat illud, ita ut & agens pati, & patiens contra agens agere dicatur.* V. Zabarell. de react: c. 1. *De hac quæruntur aliqua in Phyſicis.* 1. An reverâ detur in rerum naturâ, *an potiùs figmentum ſit? Negârunt eam dari* Burlæus in 3. Phy: t. 8. Sueſſanus in 2. Phy. t. 11. ap. Zabarell. c. l. c. 2. 3. Latini ap. eundem c. 8. Major. in 1. ſent: d. 17. *Sed dari eam patet argumento* 1. artificiali. *Datur miſtio elementorum, in quâ qualitates eorum refringuntur, ut in formam miſti conſentiant. E. datur earum actio & reactio, ſine quâ iſta refractio eſſe non poteſt. Et datur elementi tertij generatio ex congreſſu duorum, ut ex aquâ & terrâ fit halitus, aëri correſpondens. At illa non datur, niſi neutrum alterum vincat, ſed patiendo & agendo ad medium & ſic tertium reducantur. Ergò in iſto agendo & patiendo reactionem dari neceſſum eſt.* 2. Inartificiali, *teſtimonio experientiæ & Authorum.* Experientiæ. *Aqua frigida affuſa fervidæ facit tepidam. E. frigida aliquid caloris accipit, calida frigoris. Hoc eſt agendo repati. Ferrum candens in aquam frigidam demerſum fervorem amittit, aquam calefacit. E. calefaciendo aquam aliquid recipit ab aquâ, & ſic aqua reagit. Manus calida frigidum apprehendens illud calefacit, & viciſſim ab illo infrigidatur. In medicis medicamentum ſimplex ſummè calidum temperatur admiſtione frigidi, ſummè frigidum admiſtione calidi. E. frigidum aliquid recipit â calido, calidum à frigido, & ſic eſt reactio.* Authorum, *qui* th. 2. *citati omnes eam agnoſcunt. Ex Medicis* Galenum, Avicennam

aliosq́;

aliosq́; idem sentire tradunt Conimbric: in 1. de gen. c. l.

15. Plura *sunt, quæ eam è medio toller. videtur.* Quinq́; *rationes contra illã* Zabarell. c. 2. *adducit:* sex Conimb. c. l. a. 1. *Videamus potiores.* *Dices* 1. Vel vires *agentium sunt æquales, & sic neutrum aget in alterum: Vel alterius inæquales, & sic succumbet, non reaget. E. nulla reactio. R. Neg. Consequentia. Alterius vires sunt inæquales, sed tamẽ reaget, etsi non cum victoriâ.* Aliud est agere, hoc vincentis & superioris est: aliud reagere, hoc etiam inferioris & *succumbentis in ipsâ pugnâ esse potest. Fortioris est magis agere, imbecillioris magis reagere & resistere. Sic potest onus resistere ad tempus trahenti, etsi ad ultimum succumbat, & se trahi patiatur.* 2. Si est reactio, *idem erit respectu ejusdem in potentiâ simùl & actu. Debilius enim & simùl patitur à fortiori agente, sic est in potentiâ: & simùl reagere dicitur contra illud, sic est in actu, & simùl est in actu & potentiâ. At hoc non conceditur à Metaphysicis. Ergò. R: Idem non potest simùl esse actu & potentiâ quà* essendum, *sic non potest eadem rosa in modo essẽdi simùl esse actu & existere, & potestate: benè quà operandum & recipiendum. Sic aliquid simùl uno in opere esse potest agendo, V. g. saltandi, & alio in potentiâ, V. g. ad recipiendam saltandi informationem, verbera, correctiones, audiendam musicam, &c. Sic agens dum recipit energeiam agentis, eâ ratione patiens est, & in potentiâ, non actu: dum resistit & repugnat actui agentis, sic in actu esse dicitur, non potentiâ. Sic ignis agit, quà formam calefaciendi habet: patitur, quà materiam & potestatem admittendi imminutionem caloris habet.* 3. *Si* patiens reagit, *nullum agens sibi patiens assimilare poterit. Semper enim refringitur ejus actus, & ita tantum gradum, in quo prius erat, in patiens inferre non potest. Sed posterius est contra Aristotelem & experientiam.*

entiam. Frustrabitur enim natura in assequendo fine suo. E. R. *Si patiens reagit, non potest assimilari agenti, sc. quamdiu activè reagit, & in totum: benè tamen, ubi superatum fuerit, ut ampliùs reagere non possit, & in partem gradumq; aliquem similitudinis, ut dominio vincentis tandem subesse cogatur, & in naturam ejus consentire, Quando naturali facultate agens agit. Sic flamma absumit ligna & in suam naturam convertit, ubi victor fuerit, quia naturali facultate agit. Sed ferrum ignitum non facilè assimilat aquam, sed potius extingvitur, quia calor ipsi est adventitius, non naturalis. Nec frustratur natura fine suo, non enim semper intendit assimilationem* totalem, *sed interdum partialem: hanc ubi assequitur, finem assequitur.*

15. 4. Si datur reactio, *simùl intendetur eadem qualitas in eadem parte subjecti & remittetur. Nam calidum 4. palmorum aget in frigidum, secundum 4. palmum, qui frigido proximus. Hic simùl intendetur à tribus palmis, & remittetur à frigido, quod ponitur reagere. Et sic calidum in eadem parte simùl intendetur & remittetur. Sed hoc absurdum. E. potius tollenda reactio, ex quâ illud sequitur.* R. Conimbricenses *respondent, calidum non agere secundum 4. palmum, sed immediatè secundum se totum in frigidum. Calefactionem esse actum totalem & conjunctum totius calidi in frigidum, non partialem & distinctum secundum partes. Sed* Zabarella c. 8. *parùm tutam hanc responsionem putat, quòd videamus in carbone ignito unum extremum aquâ extinctum esse, manente altero ignito, & extinctam partem rursus ad ignitionem reducente. Sed breviter respondetur, palmum 4. vel vincere hostem, & sic non duo contraria recipere, intensionem simùl & remissionem: vel vinci, sic in unâ qualitate manere: Vel à duobus agentibus mediâ qualitate perfundi,*

quæ non contraria sed media, *per contrariorum refractionem inducta est. Nec contraria dici potest, nisi comparatè, respectu habito ad extrema, quibus opponitur.* Dices: *Sic contraria in eodem subjecto erunt. Calidum simùl erit frigidum, ignis recipiet frigus, quod impoßibile. R. N. C. Cum dicitur, calidum refrigerari, non est sensus, quasi duas qualitates contrarias habeat, calorem & frigus: sed quòd calorem remißiorem & retusum habeat, qui est una qualitas media ex reactione contrarij inducta, non duplex & contraria.*

16. 5. In reactione *medium interjectum simùl contrariè mutabitur. Nam si calidum agat in frigidum per aërem, aër simùl erit calidus ab agente calido, & frigidus ab reagente frigido. At contraria non possunt esse in uno subjecto simùl. Ergò nec id, per quod illa inferuntur, quod est reactio.* R. Aër vel tùm *secundum unam partem calefiet, quà calido est approximatus, secundum alteram frigefiet, quà frigido: & sic opposita non habent se* ὁσαύτως, *non enim sunt in eadem parte: Vel in totum calefiet, & simùl oppugnabit frigidum, vel frigefiet, & oppugnabit calidum. Vel exemplum est alienum, quia reactio est inter duo approximata, quorum unum immediatè agit in alterum, non per interjectum medium. Vt ignis in aquam, & hæc in illum immediatè: Vel erunt ibi contraria refracta & imminuta, ut aqua tepida ex frigidißimâ & serventißimâ confusis prodit, qualia in uno subjecto simùl esse nihil est absurdi. Ita non tàm contrariæ qualitates erũt, quàm* una media ex duabus contrarijs in aëre medio producta. *Vt* Zabarel: *vult* c. 8. *Vel motus alterationis non est continuus, ut localis, sed alternatus. Itaq; non mirum, alternatim incalescere & refrigerari medium secundum se totum posse, ut placet* Vallesio c. 5. c. I. 6. Si fit reactio, *aut per reactionem fit, aut per non reactionem. Non hoc, quia nihil fit per suum con-*

um contradictorium. Perinde ac si ens per non ens fieri diceres. Non istud, si enim per aliam reactionem, hæc iterum per aliam, & hæc per aliam, & sic in infinitum. Ergò planè non est. R. Aut per seipsam fit, & est ipse modus fiendi, non id, quod fit, sed quo fit. *Sed modi non per alios modos fiunt, sed sunt ipsæ rationes fiendi, ultrà quos progredi non licet, nisi in infinitum procedas. Reactio non fit, sed calidum, frigidum, per reactionem ut per modum fiendi fit. Perinde ac de præsenti in tempore est responsum* d. 1. dec. 1. t. 38. *De subjectis quæ fiunt, hic est assumendum, non modis, quibus fiunt.*

17. 7. Non semper, *quod movet aliud, vicissim movetur, dicente Aristot.* l. d. mot. anim. c. 1. & l. 8. Phys. t. 34. 41. 43. 44. 46. *Sic magnes trahit ferrum, non vicissim trahitur ab illo. E. nec quod alterat aliud pati ab ipso necessum est, Par enim ratio lationis & alterationis in hoc. Et sic supervanea reactio. R. Est diversa ratio. In latione non utrumq; vim movendi habeat necesse est, quà resistat agenti, & suum actum illi infundat. In alteratione utrumq; actum habere oportet, per quem agat in aliud & reagat. Sic humidum in siccum, calidum in frigidum.* 8. Datur casus, *ubi inter duo agentia Physica nulla apparet reactio. Vt si ignis, qui in 8. pedum distantias agere possit, agat in nivem, qui tantùm 2. pedes agere queat, Et distent 4. pedibus. Huc actus ignis se diffundet, nivis nihil reaget. E. non inter omnia agentia reactio. R. Per accidens id est: Datur interdum actio, ubi nulla reactio, quia omnia cætera paria non sunt. Sic aqua dissita ab valido igne calefiet, ignem non retundet, quia non justa distantia. Quæritur hic* de reactione agentium approximatorum, *& debitè distantium, omnesq; conditiones reactionis habentium, de quibus* th. 18. *agetur. Exemplum ergò alienum.* 9. Natura sequitur *vias facilimas, non labyrinthos. Sed*

facilimum est agere sine resistentiâ, & facilimè scopus inducitur. Ergò omittenda hæc. R. Natura sequitur vias facilimas, ubi sc: ea dantur, & nulla obstacula intercurrunt. Secus & difficiles sectatur, ubi impedimenta obstantia sunt, per quæ pervadit. Subjecta sunt varia & contrarijs qualitatibus instructa. Vbi mistiones, alterationes, formarum introductiones locum habere nequeunt sine pugnis & resistentijs. Ita est facilis natura, ut simùl sit operosa & industria. Plura horum in discursu.

18. Quæritur 2. *de reactione,* In quibus subjectis & motibus detur? *Non datur* 1. in angelis *& substantijs separatis, quæ non agunt & vicißim repatiuntur ab illis in quæ agunt: Communiter enim agunt actione immanente, non transeunte, ut intelligendo, volendo, in quibus nulla reactio. Et si transeunter agunt, validè agunt, ut nihil illis resistat. Sic angeli movendo corpus, ut Habacuc.* Add. Dan. v. 35. *Non* 2. in cœlo *& cælestibus actionibus. Sic stellæ agunt in inferiora, sed ab illis non repatiuntur. Nec* 3. in agentibus *perfectivis, qualis est lux, quæ nil repatitur ab aëre: & visus, quem species objecta movet, nec vicißim ab eo movetur: & intellectus, quem species intelligibilis movet ad intelligendum, nec ipsa vicißim movetur ad intelligendum. Huc agentia supernaturalia pertinent. Vt cum Deus vel ex nihilo format res, vel ex materiâ educit, vel intellectum per species impressas absolutâ operatione illuminare vult, nihil hic resistit. Nec* 4. in generatione, *Nec enim generans à genito vicißim generatur: vel augmentatione, aut imminutione, nec augens augetur vicißim ab eo, quod auget: aut minuens vicißim à minuto minuitur. Nec* 5. in movente *Metaphorico, ut finis movere dicitur efficientem, non vicißim movetur ab eo. Nec* 6. in movente remoto, *ut ignis validus calefaciet aquam remotam,*

nihil ab eâ repatietur. *Non* 7. in movente localiter. *Sic equus trahens currum, non vicissim trahitur: figulus rotans orbem non rotatur ab orbe. Interdum hic videtur esse reactio, ut cum pila pilam trudit, & repellitur ab eâ: clava trabem pellit, & retruditur ab illâ: serra secat ligna, & ab ijs hebetatur. Sed est propriè repulsio aliqua motus, non reactio. Pila* non actione alterativâ *repellitur, sed per motum ob resistentiam alterius pilæ rejicitur. Serra non secatur à ligno, sed hebescit. Vnde* Aristoteles 4. de gen. an. c. 3. *moveri aliquo motu dicit, & pellens pelli quodammodò. Indicando, non eadem actione ibi rem geri, ut in reactione propriâ, ut cum calidum calefacit frigidum, & vicissim refrigeratur ab frigido, sed diversâ. Vt cum culter secando hebescit. Non* 8. in movente primo *& remoto. Sic medicus agit in ægrotum sanando, sed non vicissim repatitur ab ægro, quia non est agens proximum & immediatum, sed primum. Medicamentum repatitur ab ægro, quia proximum & immediatum agens. Non* 9. in agente, *quod extra sphæram activitatis passi sit. Sic ignis validus calefaciet aquam ad magnam distantiã, aqua non reaget in ignem, quia hic est extra sphæram activitatis aquæ, ob nimiam ab illâ distantiam. Non* 10. in movente *per accidens & casualiter, quomodo in antiperistasi calidum frigefacit per accidens, sed non frigefit vicissim. Sed* in motu alterativo materiali sensibili, agente proximo corruptivo, & ad agendum cœteris paribus benè conformato, *intra sphæram activitatis constituto, & ubi passum qualitatis imprimendæ sit capax. Hic datur reactio & inter* qualitates contrarias, *ut dum calidum agit in frigidum, & actu frigoris simùl oppugnatur:* & inter disparatas, *ut cum calidum agit in humidum, & vicissim humectatur ab illo. Sic aër calefactus igni aliquam humiditatem imprimere potest, ut fiat velut*

dilutior & diffusior. Sed ubi alterum resistens qualitatis alterius capax non est, frustrà reactionem expectes. Sic aqua humectabit terram, non vicissim siccabitur ab terrâ, quia incapax qualitatis istius.

19. *Quæritur* 3. A quibus causis hæc resistentia activa proficiscatur? *Hic formas rerum causas concedimus, quæ per accidentia alterativa, ut instrumenta suarũ actionũ reactiones expediunt, cum Zab:* c. l. c. 5. *Sic ignis per calorem agit in aquam, aqua per frigus oppugnat ignem. Et eædem causæ resistentiæ sunt etiam causæ majoris vel minoris resistentiæ. Vt activitas formæ crescit ex ejusdem intensione, densitate, extensione: Sic & resistentia activa.* De privativâ resistentiâ *secus est. Hæc potest esse magna, ut activitas sit parva in subjecto. Sic siccitatem minimam in agendo, maximam in resistendo dicunt Philosophi. Calor magnæ efficaciæ in agendo, parvæ in resistendo ijsdem dicitur. Si enim tantum resisteret, quantum agit, omnia consumeret, & nihil secum congredi ad mistionem pateretur.* 4. An sit ipsa actio contrarij agentis, an aliud ab eâ? *Materialiter & realiter est ipsa actio, & potest transire ab reactione in actionem per solam mutationem, aut cessationem actionis passi. Sic cum aqua cessat resistere calori ignis, ignis actio est calefactio: Quod indicio est, realiter ab actu calefactionis resistentiam ignis non differre: Formaliter est actio resistens cum denominatione ab respectu ad alterum patiens, quod simùl agat. Quod si ab agendo cesset, aut amoveatur, jam non reactio, sed actio simpliciter dicitur.* 5. An & immediatè fieri possit à substantiâ, an semper per qualitates? *Prius affirmant, qui substantias immediatè sine accidentibus operativas ajunt, & humorem & siccitatem corporum substantias, non accidentia, dicunt, ut* Arriaga d. 3. de gen. n. 179. & d. 4. n. 9. *Sed horum con-*

rum contraria ut probabiliora alibi assumpta sunt. V. dec. I. misc. d. 3. t. 18. d. 4. t. 14. seq: *Ordinariè non nisi per qualitates agunt substantiæ. An extraordinariè suppleri possit qualitas à DEo, & immediatè substantia ad operationem applicari, alius disquisitionis est. Nos id fieri posse non negamus, quando evidentem ex eo contradictionem non animadvertimus.* Conf. c. I. d. 4. t. 26.

20. Resistentia positiva naturalis vel *est generalis* vel *specialis.* Generalis, *quæ in omni motu alterativo reperitur. Vt cum calidum oppugnat frigidum, attenuans crassum & viscidum, resolvens coagulatum, &c.* Specialis, *quæ in speciali casu reperitur. Estq́;* vel antiperistatica vel extraordinaria. Antiperistatica, *Vt cum calor obsidens frigus facit illud validiùs & firmiùs calori repugnare. Hæc antiperistasis usitatè dicitur, &* d. 8. *peculiariter tractabitur.* Extraordinaria *est, quæ rarò contingit, & peculiarem causam habet, etsi ea interdum minùs liqueat. Talis est in mirabilibus antipathijs oppugnativis. Sic quidam ita restiterunt venenis, ut innoxiè ea in cibum aut potum assumerent. Puella Indica napello, qui præsens venenum est, nutrita fuit, ut ejus consortio intoxicaretur Alexander M.* Mizald. C. I. §. 59. *Puella triennalis araneos pro delicijs voravit. Athenagoras Argivus, Psylli, Marsi, Troglodytæ, Ophiogenes Cypry, Sultanus Cambajæ, venena innoxiè assumpserunt.* Hildebrand. l. I. mag. nat. c. 23. Conf. Scalig. ex. 33. s. 3. & 244. s. 7. *Sturnus cicutam pro nutrimento habet, unde* Lucretius l 5. nobis verathrum est acre venenum: At capreis adipes & conturnicibus auget. Quippe videre licet, pinguescere sæpè cicutâ Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum. *Salivam salamandræ sues comedunt, etsi præsens venenum.* Plin. l. 29. c. 4. *Ciconiæ serpentibus innocuè vescuntur.*

scuntur. *Apud Aegyptios si quis Ibim, quæ ciconiæ species est, occidisset, sine miseratione occidebatur. Quia magnam alatorum serpentum copiam devorat, qui aliàs homini pestiferi.* Herodot. l. 2. Etzlerus c. 2. Isag. Mag: *Unde* Juvenalis Sat. 15. *de Aegypto ait,* Crocodilon adorat pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibim. *Gemellos in Austriâ feras ita oppugnasse ex* Langio *tradit* Mizald. C. 5. §. 69. *ut objectis tantùm ad januas corporibus eas reserârint. Mirabilis resistentia in petrâ ad Harpasam Asiæ urbem est, quæ uno digito movetur, toto corpore attacta immobilis resistit.* Porta l. 1. ma. nat. c. 18. Hildebr. c. l. l. 4 c. 4. *In Cyrenaicâ provinciâ rupes quædam Austro sacra est, quam si manus hominis attrectet, continuò Auster harenas volvit.* Plinius lib. 2 c. 45. *Quædam terræ venenis ita resistunt, ut nullum animal venenatum ferant, sed si inferatur, moriatur. Malta & Gaulus insulæ nullum venenatum animal ferunt.* Munster. l. 2. Cosmog. c. 96. *Creta nullos serpentes fert.* Apolepht. p. 1. erquick. p. 65. *Quædam loca Arabes aut Turcas ferre non potuerunt.* Hildebrand. c. l. l. 1. c: 51. *Hibernia non lacertos & bubones fert.* Euphorm. p. 4. Sat. c. 4. n. 22. *Principes quosdam* strumis *resistere, easq; solo attactu curare scribitur. Regib⁹ Galliæ id tribui solet.* V. Lansiũ Or. pr. Gall. 253. Mizal. C. 3. §. 66. *Quanquam falsum esse ex* Pet d. Crescentiis *Idem testatur,* Or. c. Gall. p. 449. *Comitibus Habspurgicis idem* χάρισμα *tribui solet.* V. Camerar. C. 3. c. 42. *Edvardus S. Angliæ Rex primus gutturis strumas solo attactu curasse fertur.* Dresser. millen. 6. p. 663. *Quidam & Elisabethæ Angliæ Reginæ id tribuunt.* Vide Delrium l. 1. disq. Mag. c. 3. q. 4. §. 7. *Qui negat id verum esse, ut & Chavaßius* l. 4. d. not. relig. c. 5. §. 5. *Reges legi curasse, non Reginas.* Mizaldus c. l. *& infanti continuâ serie masculinâ septimo id*

mo id tribuit. Aurum resistere pilis dicitur, qui Saturnini sunt, cui Saturno aurum adversatur. Vnde Mauræ *nobiles, ne filiabus pili ullâ in parte corporis enascantur, auro candente loca obducunt, ita nulli pili enascuntur. Herbæ Saturninæ & solares juxtà satæ resistunt, & altera alterius est exitium.* V. Etzlerum isago. Phys: c. 1.

21. Resistentia moralis *est, cujus principium est vis moralis aliqua in subjecto. Vt innata vel adscita malitia, consuetudo, voluntaria pertinacia, &c: Estq;* vel civilis, vel spiritualis. Civilis, *quæ in statu civilis vitæ contingit. Vt cum vitiosi virtutes oppugnant, seditiosi statum pacatum, vulgus prudentiam, Martiales pacem eliminant.* Spiritualis, *quæ in foro spirituali locum habet. Estq;* vel originalis vel actualis. Originalis, *quæ ab peccato originis oritur, & æqualis est in omnibus hominibus. Hinc nascimur cum stultitiâ spirituali.* 1. Cor: 2. v. 14. *& irâ Dei.* Ephes: 2. v. 3. *Nec solùm non assequimur mysteria fidei ex solâ naturâ, sed & ut corrupta natura est, non possumus non contemnere ea, & pro ridiculis habere. Sic Festus,* Act: 26. v. 24. Actualis *est, quæ ab actualibus peccatis & propriâ hominis malitiâ exurgit. Estq;* vel ordinaria, *ut in reprobis communiter, qui reluctantur Spiritui S. nec operationem ejus admittunt. Hoc interdum ex ignorantiâ fit, Vt in Paulo.* Act. 8. v. 3. c. 9. v. 1. c. 22. v. 4. 1. Tim. 1. v. 13. *Interdum ex destinatâ malitiâ.* Job. 21. v. 14. Malach: 3. v. 14. 15. Sap. 2. v. 10. *seq:* Vel extraordinaria, *quæ in quibusdam singulariter reperitur. Vt* 1. in peccantibus in *Spir: S: qui voluntariè cognitam veritatem Evangelicam finaliter oppugnant & blasphemant, adeoq; illuminationi Sp: S: & testificationi resistunt. Exempla eorum in Pharaone, Auditoribus* Jeremiæ, *Pharisæis tempore Christi, tempore Stephani, alysq; quærunt. Sed incerta sunt, cum non*

 constet,

constet, ad finem eos ita perseverasse. Et quidam non in puncto Evangelico, sed alio, ut Pharao & auditores Jeremiæ, restiterunt. 2. in hominibus damnatis, *quorum malitia ita perfecta, ut non poßint non resistere bono.* 3. in diabolis, *quorum voluntas ita obdurata, ut non nisi mala & distorta velle poßint, omneq; bonum extirpatum velint.* Ex gradibus resistentia *est* vel *valida*, vel *remissa*. Valida, *quâ intensè resistitur. Vt diaboli Deo.* Remissa, *quâ invalidè. Vt butyrum calori solis aut ignis, quò minus liquescat.*

22. *Ita* divisio *resistentiæ fuit.* Causæ & subjecta *ejus ex* th: 12. & 18. *patere possunt.* Affectiones *resistentiæ sunt* 1. utilitas *& neceßitas ejus in naturâ, ut per eam generationes, alterationes, concoctiones, mutationes & mistiones rerum per minima expediantur, quæ sine mutuis rerum actionibus & reactionibus exerceri non possunt.* 2. ingens varietas *rerum sibi resistentium, quæ à Deo creatæ sunt. Sunt resistentiæ & in regno spirituali, inter Deum & diabolum, angelos bonos & malos, homines pios & impios: & in regno corporali, eoq; & cœlesti, ut Planetis, ita Sol & Saturnus, Venus & Mars, Jupiter & Mars contrariari in effectibus dicuntur.* V. Etzlerum c. 1. 2. 3. isago. Magic. *& terrestri: & hoc & animali, & plantali, & minerali, ut Physica docet: & in regno morali, ubi vitia resistunt virtutibus, honesta turpibus.* V. t. 21. Cognata & Opposita *ad ultimum sunt addenda.* Cognata *resistentiæ sunt omnes dissensiones consiliorum, sententiarum, factorum, morum, vitæ, &c. Omnes substantiæ antipatheticæ, & quæ naturaliter dissentiunt. Quas persequuntur* Plinius l. 24. nat. hist. c. 1. l. 9. c. 6. 62. Scaliger ex. 344. s. 2. 3. seq. & ex. 153. s. 10. Erasmus in colloq. amicitia, *aliiq;.* Opposita *ejus sunt* privativa & Contraria. Privativum *est impotentia resistendi, vel invalida resistentia, ut cum cera & butyrum non resistunt calori liquefacienti, infans non adulto & robusto.* Contrarium *ejus est* admissio vel receptio, modus aliquis habendi se ad operationē subjecti admissivè. *Hic etiam est* vel naturalis, *qui ex naturæ principio est, ut cum aqua tepida facilè admittit ulteriorem calorē:* vel moralis, *qui ex morali principio, ut cum renati facilè admittūt effecta Sp. S. virtuosi facilè doctrinā & disciplinam, &c.*

Atq; hæc de resistentiâ generali ejusq; modis & oppositis dicta sufficiant.